

CLASSICAL TRIPPOS PART IA

---

Thursday 9 June 2005      9 to 12

---

Paper 3

PASSAGES FOR TRANSLATION FROM LATIN AUTHORS

*Answer all the questions.*

*Use a separate booklet for each section.*

**The examiners will give equal weight to each Section.**

*Write your number (not your name) on the cover-sheet of each Section booklet.*

**It is important to write good English.**

*Candidates who do not write legibly may find themselves at a grave disadvantage.*

*SPECIAL REQUIREMENTS*

*20 Page Answer Book ×2*

*Rough Work Pad*

You may not start to read the questions  
printed on the subsequent pages of this  
question paper until instructed that you  
may do so by the Invigilator

## SECTION A

*Translate:*

## A1

isdem cōsulibus miseriarum ac saeuiae exemplum atrox, reus pater, accusator filius (nomen utriusque Vibius Serenus) in senatum inducti sunt. ab exilio retractus inluuieque ac squalore obsitus et tum catena uinctus pater oranti filio comparatur. adulescens multis munditiis, alaci uultu, structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat, adnectebatque Caeclium Cōrnutum praetorium ministrauisse pecuniam; qui taedio curarum et quia periculum pro exitio habebatur mortem in se festinavit, at contra reus nihil infracto animo obuersus in filium quatere uincia, uocare ultores deos ut sibi quidem redderent exilium ubi procul tali more ageret, filium autem quandoque supplicia sequerentur. adseuerabatque innocentem Cōrnutum et falso exterritum; idque facile intellectu si proderentur alii: non enim se caedem principis et res nouas uno socio cogitasse.

TACITUS *Annals* IV 28

## A2

humana ante oculos foede cum uita iaceret  
in terris oppressa graui sub religione,  
quae caput a caeli regionibus ostendebat  
horribili super aspectu mortalibus instans,  
primum Graius homo mortalis tollere contra  
est oculos ausus primusque obsistere contra;  
quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti  
murmure compressit caelum, sed eo magis acrem  
inritat animi uirtutem, effringere ut arta  
naturae primus portarum claustra cupiret.  
ergo uiuida uis animi peruicit et extra  
processit longe flammantia moenia mundi  
atque omne immensum peragrauit mente animoque,  
unde refert nobis uictor quid possit oriri,  
quid nequeat, finita potestas denique cuique  
qua nam sit ratione atque alte terminus haerens.  
quare religio pedibus subiecta uicissim  
obteritur, nos exaequat uictoria caelo.

LUCRETIUS *De rerum natura* 1 62-79

Isi, Paraetonium genialiaque arua Canopi  
     quae colis et Memphim palmiferamque Pharon.  
     quaque celer Nilus lato delapsus in alueo  
         per septem portus in maris exit aquas.  
     per tua sistra precor, per Anubidis ora uerendi –  
         sic tua sacra pius semper Osiris amet.  
     pigraque labatur circa donaria serpens,  
         et comes in pompa corniger Apis eat!  
     huc adhibe uultus, et in una parce duobus!  
         nam uitam dominae tu dabis, illa mihi.  
     saepe tibi sedit certis operata diebus,  
         qua cingit laurus Gallica turma tuas.  
     tuque laborantes utero miserata puellas,  
         quarum tarda latens corpora tendit onus,  
     lenis ades precibusque meis faue, Ilithyia!  
         digna est, quam iubeas muneris esse tui.  
     ipse ego tura dabo fumosis candidus aris,  
         ipse feram ante tuos munera uota pedes.  
     adiciam titulum: 'seruata Naso Corinna!'  
         tu modo fac titulo muneribusque locum.  
     si tamen in tanto fas est monuisse timore,  
         hac tibi sit pugna dimicuisse satis!

OVID *Amores II* 137–28

[TURN OVER]

## SECTION B

*Translate:*

**B1** *Dido curses Aeneas.*

talia dicentem iam dudum auersa tuetur  
 hue illuc uoluens oculos totumque pererrat  
 luminibus tacitis et sic accensa profatur:  
 'nec tibi diua parens generis nec Dardanus auctor,  
 perfide, sed duris genuit te cautibus horrens  
 Caucasus Hycanaeque admirunt ubera tigres.  
 nam quid dissimulo aut quae me ad maiora reseruo?  
 num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?  
 num lacrimas uictus dedit aut miseratus amantem est?  
 quae quibus anteferam? iam iam nec maxima Iuno  
 nec Saturnius haec oculis pater aspicit aequis.  
 nusquam tuta fides, eiectum liture, egentem  
 excepit et regni demens in parte locauit.  
 amissam classem, socios a morte reduxi  
 (heu furiis incensa feror!): nunc augur Apollo,  
 nunc Lyciae sortes, nunc et Ioue missus ab ipso  
 interpres diuum fert horrida iussa per auras.  
 scilicet is superis labor est, ea cura quietos  
 sollicitat, neque te teneo neque dicta refello:  
 i, sequere Italiam uentis, pete regna per undas.  
 spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,  
 supplicia hausurum scopulis et nomine Dido  
 saepe uocaturum, sequar atris ignibus absens  
 et, cum frigida mors anima seduxerit artus,  
 omnibus umbra locis adero, dabis, improbe, poenas.  
 audiam et haec manis ueniet mihi fama sub imos.'

VIRGIL *Aeneid* IV 362–87

**B2** *Verres' crimes are known to all, and yet he is determined to deny them.*

nunc homo audacissimus atque amentissimus hoc cogitat, intellegit me ita paratum  
 atque instructum in iudicium uenire ut non modo in auribus uestris, sed in oculis  
 omnium sua furga atque flagitia defixurus sim: uidet senatores multos esse testis  
 audaciae suae, uidet multos equites Romanos, frequentis praeterea ciuis atque  
 socios, quibus ipse insignis iniurias fecerit, uidet etiam tot tam grauis ab amicissimis  
 ciuitatibus legationes cum publicis auctoritatibus conuenisse, quae cum ita sint,  
 usque eo de omnibus bonis male existimat, usque eo senatoria iudicia perdita  
 profligataque esse arbitratur, ut hoc palam dictitet, non sine causa se cupidum  
 pecuniae fuisse, quoniam in pecunia tantum praesidium experiatur esse; sese, id  
 quod difficillimum fuerit, tempus ipsum emisse iudici sui, quo cetera facilius emere  
 postea posset; ut quoniam criminum uim subterfugere nullo modo poterat, procellam  
 temporis deuitaret.

CICERO *in Verrem* I 3